

2
Ceremonialis Fratrum Minimorum.

II. Advertendum tamen, quod non ita stricte in Regula, & Statutis Generalibus præcipitur nobis observantia Romanorum Rituum, ut nostris Cæmoniis uti amplius non possimus: quin potius, illo Regulæ præcepto non obstante, particulares cæmonias nobis observatu præscripsit B. Pater: Et Capitula Generalia apertis verbis nos tantum absolvunt ab observantia eorum cæmoniarum, quæ positivè Ecclesiæ Romanæ ritibus adversantur. Igitur in iis, quæ propriè illis ritibus non sunt contraria, seu quæ sunt supra, & præter Cæmoniale Romanum, idest in his, de quibus dictum Cæmoniale Romanum nihil disponit, vel ad illud nullo modo pertinet, omnino tenendum est nostrum Cæmoniale, ut probat P. Peyrin, in Formul. lit. M. cap. 1. n. 5. Exemplum autem asserri potest in Missa, ac Vespere solemnis, in quibus juxta Romanum ritum, dum Ministri ad altare accedunt, statuitur, præcedere debere Ceroferarios cum candelabris accensis, nulla facta mentione Thuriferarii, quem tamen præcedere, præcipit nostrum Cæmoniale: unde ita observandum est.

III. Verum plura sunt, quæ jam positivè sunt reformata, & plura, quæ ita aperte ex nostro Cæmoniario non habentur, stabilita jam per S. C. Rit. decreta, & per probatos Cæmoniarum Doctores, eiusdem Congreg. Consultores, & ideò, ut nostrum Cæmoniale undequaqueq; perfectum evadat, quartam Partem instituimus de hujusmodi ritibus, quos omnino observare oportet, imo, ut eadem uniformitas in omnibus Provinciis eluceat, addimus quintam, & sextam partem de ritibus peculiaribus pro nostra Religione.

IV. Restat igitur videndum, quantam obligationem contrahant Fratres Minimi ex vi Regule, & Statutorum Generalium, circa observantiam sacerdotum Rituum. Et quidem P. Peyrinis in Form. loc. cit. loquens de nostro Cæmoniali asserit, servandum omnino esse sub gravi culpa, quod ad ea, quæ positivè Rom. Ecclesiæ ritibus non adversantur, quod idem consequenter asserit quod ad ipsos Romanos ritus, quia militat eadem ratio ab ipso assignata. Verum de ipsis Rom. Ecclesiæ ritibus observandis sub calpa gravi, existimo, nullam adesse difficultatem, ob præceptiva, & imperatoria verba Regulæ citata: persolvant, teneant: & in cap. Gen. 4. mandant, & in Barchin. 1. volumus, & præcipimus, quæ verba inducunt obligationem ad culpam gravem, vt multis ostendit Bonac. de legibus q. 1. punct. 7. s. 4-n. 7.

V. Verum hanc obligationem præcipue cadere in Superiores, deducitur expressè ex cit. cap. Gen. 4. n. 32. dicente: Utterius mandavit, ut quilibet Correktor in suo Conventu, quo ad celebrationem Missarum, & Divini Officii, caret servare, & ab omnibus suis Fratribus uniformiter servi